# *Vergil's Aeneid I.55-75*

Illī indignantēs magnō cum murmure montis
circum claustra fremunt; celsā sedet Aeolus arce
scēptra tenēns, mollitque animōs et temperat īrās.
Nī faciat, maria ac terrās caelumque profundum
quippe ferant rapidi sācum verrantque per aurās.
Sed pater omnipotēns spēluncīs abdidit ātrīs,
hoc metuēns, mōlemque et montēs īnsuper altōs
imposuit, rēgemque dedit, quī foedere certō
et premere et laxās scīret dare iussus habēnās.
Ad quem tum Iūnō supplex hīs vōcibus ūsa est:
"Aeole, namque tibī dīvum pater atque hominum rēx
et mulcēre dedit flūctūs et tollere ventō,
gēns inimīca mihī Tyrrhēnum nāvigat aequor,
Īlium in Ītaliam portāns victōsque Penātēs:
incute vim ventīs submersāsque obrue puppēs,
aut age dīversōs et disice corpora pontō.
Sunt mihi bis septem praestantī corpore nymphae,
quārum quae fōrmā pulcherrima Dēïopēa,
cōnūbiō iungam stabilī propriamque dicābō,
omnēs ut tēcum meritīs prō tālibus annōs
exigat, et pulchrā faciat tē prōle parentem."